

excedentem virtutem nativam, cum etiam vitalitas ipsa nativa dependeat ab agente extrinseco, et similiter ipsa libertas, a quo producitur, et movetur: licet enim voluntas libera moveat se, non tamen est primum movens, sed ab alio priori movetur, nempe a suo generante, id est, a Deo, a cujus motu non violentatur libertas, quia juxta suam naturam movetur, ut docet optime S. Thomas III contra gentil. c. LXXXVIII, et I p. q. LXXXIII, artic. I. Unde cum gratia elevans, et movens sit influxus proveniens ab ipso Deo, licet sit principium extrinsecum, tamen quia ipsum principium intrinsecum vitæ et libertatis, ab ipso Deo, et ab ejus influxu derivatur, ut a principio per se vitæ et libertatis, talis influxus, et forma potest esse ratio agendi ipsi principio intrinseco etiam quantum ad ejus vitalitatem, et libertatem sicut habitus superadditus potentiæ, juxta modum vitalitatis, et libertatis ejus eam adjuvat, et perficit, et determinat.

XII. Ad instantiam, et confirmationem contra hanc responsionem, dicitur quod aliter res inanimata, v. g. aqua, vel ferrum recipit virtutem ad agendum, v. g. calorem, aliter potentia vitalis, v. g. intellectus, et voluntas formam elevantem ad operandum supernaturaliter: nam in aqua totalis virtus, et activitas ad tale faciendum ita provenit ab intrinseco quod nullam activitatem in se supponit, neque proximam, neque remotam, neque proportionatam, neque obedientialem, et proportionandam ad calefaciendum, sed mere passive se habet, et præcise ut sustentativum caloris, licet recepto calore, ipsa aqua, in quantum calida, dicatur agere, non in quantum aqua, eo quod agere convenit ipsi concreto, non formæ secundum se, et in abstracto. At vero in potentiis vitalibus elevabilibus per gratiam,

licet tota ratio agendi, ut proportionata, et elevata sit a gratia, tamen supponitur activitas radicalis, licet improportionata, elevabilis tamen, et proportionabilis per gratiam; et ideo non mere passive se habet, et ut pure sustentans virtutem ipsam supernaturalem, neque ut activitas partialis, etiam imperfecta, habens tamen proportionem aliquam ex se influxivam in actum illum supernaturalem: hanc enim activitatem cum aliqua proportione, quantumcumque imperfectam omnino negamus, quasi partialiter se habentem in agendo cum ipsa virtute supernaturali, eo quod proportio, et partialitas in agendo respectu alijus actus, vel effectus supponit quod in eodem ordine se habeat agens cum effectu, vel actu in eo in quo proportionate se habet cum illo, facultas autem nativa, seu naturalis ordinis semper est inferior, et alterius ordinis ad supernaturalem virtutem, et consequenter improportionata respectu illius. Solum ergo concedenda est activitas vitalis improportionata, quæ et radicalis dici solet, quæ in se habet capacitatem, seu non repugnantiam, ut per elevationem fiat proportionata, et habilis proxime ad actus, ita superiores, et elevatos; et hæc activitas ad elevationem ipsam passive se habet, seu non repugnanter, ad actum vero eliciendum active se habet activitate remota, et improportionata, active autem proportionate media elevatione: et in hoc differt ab aqua calefaciente, quod in aqua non elevatur, et proportionatur aliqua activitas aquæ, ut per calorem reddatur calefactiva, si quidem frigiditas, quæ est virtus activa aquæ, vel humiditas, non est capax ut elevetur aut perficiatur per calorem ut calefactiva reddatur: frigiditas enim nunquam calefacit, imo de se repugnat ut sit calefactiva, intellectus

autem, et voluntas quæ sunt virtutes activæ, sed improportionatæ ad videndum, et amandum Deum, vere intelligunt, et amant Deum active, mediante tamen elevatione ut ratione formali, nec tali visioni repugnant, sicut frigiditas aquæ calefactioni. Et sic nisi supponeretur activitas ista radicalis, et improportionata ad actus supernaturales, non posset elevari, et proportionari, non tamen debet supponi activitas proportionata, etiam partialis, ut adjecta virtute supernaturali fiat actus, quasi partialiter adjuvante solum, non intrinsece proportionante: hanc enim partialitatem in activitate nativa negamus, et omnem activitatem proportionatam, etiam inchoative, et imperfecte, sed tantum activitatem ponimus improportionatam intrinsece: proportionabilem autem per elevationem, ita quod virtus elevans dat totam proportionem, et totam activitatem ut elevatam, non totam activitatem simpliciter etiam radicalem, et improportionatam. De quo vide plura loco citato disp. XIV tomi præcedentis.

XIII. Secundo, argumentum ex auctoritate Concilii Tridentini sess. VI, c. V, ubi dicitur quod: « Liberum hominis arbitrium motum, et excitatum cooperatur gratiæ Dei excitanti, atque vocanti: » ergo aliquid influit liberum arbitrium, ratione cujus vere, et proprie dicatur cooperans ipsi gratiæ excitanti; sed si tota ratio agendi est gratia, non potest dici liberum arbitrium cooperans ipsi gratiæ, id est, simul cum illa, sed solum ex illa: ergo hæc doctrina non salvat in proprietate, et rigore sermonis definitionem Concilii. Nec dici potest quod liberum arbitrium non secundum se, sed ut motum, et elevatum cooperatur, non ipsi gratiæ, qua movetur, et elevatur, sed alteri gratiæ, quæ da-

tur postea, et cooperans est. Contra enim est, quia Concilium dicit cooperari nostrum liberum arbitrium ipsi Deo excitanti, et vocanti: ergo non solum gratiæ cooperanti, quæ postea datur, sed etiam gratiæ qua primo excitatur, et vocatur, debet liberum arbitrium esse cooperans; respectu autem talis gratiæ non cooperatur liberum arbitrium, nisi per suam nativam facultatem, et non ex gratia: ergo secundum sensum proprium Concilii non est tota ratio agendi ipsa gratia, qua elevatur, et movetur arbitrium, sed etiam cooperatur nativa facultas.

Confirmatur, quia illa est tota virtus agendi, qua remota nihil omnino manet virtutis activæ: ergo si gratia est tota ratio agendi, remota vel præcisa illa, nihil activitatis manet in voluntate: ergo de se voluntas solum se habet ut inanime quoddam, quia se habet ut nihil activitatis habens: ergo solum passive, et ut res inanimis, quod ibi Concilium expresse damnat. Unde Augustinus serm. XIII de verbis Apostoli explicans illud Psalmi XXVI: *Adjutor meus esto, etc.* docet quod: « Ipsum nomen adjutoris nos admonet quod etiam nos aliquid facimus: qui enim nihil facit, adjuvari non indiget. »

Respondetur Concilium ipsum apertissime loqui de libero arbitrio moto, et excitato, et consequenter elevato, ut patet in canone quarto illius sessionis sextæ. Liberum ergo arbitrium non per suam facultatem nativam, tamquam per rationem formalem agendi, sed ut motum, et excitatum, atque adeo ut proportionatum, et elevatum per gratiam tamquam per totalem rationem agendi proportionatam, et immediatam cooperatur gratiæ ipsi simul concurrenti, et cooperanti, quo tali libero arbitrio excitato postea datur: cooperatur enim, ut dicit Concilium,

ipsi vocationi assentiendo. In assentiendo autem, cooperatio fit cum ipso concursu divino concomitante: supponitur autem præcedere excitans auxilium, et movens. Et cum instatur quod Concilium dicit nos cooperari ipsi Deo vocanti et excitanti, respondetur cooperari nos Deo vocanti, non cum ipsa vocatione partialiter concurrendo, sed divinæ vocationi per assensum respondendo. Nec enim dicit Concilium nos cooperari vocationi divinæ, quasi ipsa vocatio sit cooperans gratiæ, quæ partialiter concurrat cum libero arbitrio ejusque nativæ facultate, sed dicit, quod: « Assentiendo Deo vocanti, et excitanti, cooperamur; » ita quod ly cooperamur non debet construi, et conjungi cum ly vocationi, sed ly assentiendo construi debet cum ly vocationi, et ly cooperamur cum Deo, ita quod assentiendo vocationi, cooperamur Deo; sed cum ipsa gratia cooperante, quæ post excitationem, quæ est operans datur: sed tunc quando cooperatur liberum arbitrium cum ipsa gratia cooperante, jam supponitur liberum arbitrium motum, et excitatum, et consequenter elevatum, et sub illa ratione elevati cooperatur, non sub ratione nativæ facultatis.

Ad confirmationem respondetur, quod remota activitate tam radicali et remota, quam formali et proxima, id quod remanet, nihil activitatis habet, sed passivitatis, et tamquam inanime est. Remota autem activitate formali tantum, et elevante, seu proportionante, remanere potest non aliquid mere passivum, sed activum improprietate, et remotum, seu radicale activum quod per virtutem supernaturalem tamquam per rationem agendi superadditam proportionandum est. Quare non se habet voluntas humana ut aliquid pure inanime, et

passivum, sed ut vitale activum elevabile, et proportionandum per gratiam, de se autem improprietate, et solum obedientialiter potens in illum actum non proportionate, et proxime, etiam partialiter, sed totalem proportionem accipiens ex gratia, in se autem activitatem supponens, quæ ut elevata, vitaliter operetur actus supernaturales, ly ut dicente rationem formalem talis operationis. Ad auctoritatem Augustini respondetur, quod optime dicitur, quod nos facimus hoc ipso quod Deus est adiutor, non autem quod nihil facimus, quia ipso adiutorio, elevamur ad faciendum, et rationem formalem agendi ab ipso adiutorio accipimus, qua posita, ipsa activitas vitalis naturalis sic elevata operatur. Non autem Augustinus dicit, quod nos partialiter facimus cum ipso adiutorio, sed quod ipsum nomen adiutoris nos admonet quod aliquid facimus: salvatur autem quod facimus ipso adiutorio se habente ut ratione formali proportionante proxime ad agendum, non autem ut partiali cum principio tantum.

## ARTICULUS V.

*Utrum res, et opera bona naturalis ordinis sunt effectus prædestinationis?*

I. Ea quæ pertinent ad ordinem naturalem in præsentia, in tria capita dividi possunt. Primum est, ipsa substantia prædestinati, quæ se habet ut subjectum receptivum eorum, quæ per prædestinationem homini a Deo conferuntur. Et in ipsa substantia prædestinati etiam includuntur ea, quæ talem substantiam componunt, et ad eam pertinent vel reducuntur, sicut est temperamentum, ingenium, vires, re-

liquæque proprietates, imo et ipsa mors, sic vel sic contingens, talis nativitas, educatio, etc.

Secundum est, opera naturalis ordinis moraliter bona, procedentia ab ipso prædestinato.

Tertium est, res externæ naturales ipsis prædestinatis deservientes, et quibus tamquam instrumentis vel adjumentis utuntur ad virtutem. Et ideo de singulis breviter dicendum est.

Dependet autem resolutio circa omnia ista ex duobus præsuppositis.

Primum est, quod dupliciter potest aliquid esse effectus prædestinationis, scilicet elicitive et proxime, vel imperative et remote, quæ distinctio videri potest supra ex S. Thoma. Elicitive dicitur effectus prædestinationis, quod conducit ad finem supernaturalem, tamquam medium supernaturale, et ejusdem ordinis cum illo; et sic a supernaturali providentia, eaque efficaci elicitor. Imperative dicuntur pertinere ad prædestinationem, quæ sunt inferioris ordinis, seu naturalis; et sic mediantibus aliis causis, et directione naturalis providentiæ, a prædestinatione fiunt, quatenus inferior providentia, et directio subordinantur superiori, sicut inferioriudicium seu tribunal, supremo: natura enim subordinatur gratiæ, et ordo naturalis supernaturali, tamquam superiori.

Secundum quod advertimus est, quod ea quæ prædestinationi subjiciuntur, vel ab ea causantur, possunt se habere, vel per se, et ex propriis conducentia ad talem finem, vel ut occasionem præsentia, aut ministerialiter deservientia ad ipsam operationem gratiæ, et consequenter ad effectum prædestinationis. Quo posito:

II. Dico primo: In prædestinatione ad gloriam, ipsa substantia præ-

destinati secundum se præcise, neque elicitive, neque imperative est effectus prædestinationis. Cæterum secundum suas circumstantias, et ordinem quo producit, puta talem nativitatem, ex talibus parentibus, tali temperamento, et ingenio, et aliis similibus, non repugnat esse effectum prædestinationis imperative. Loquor de prædestinatione ad gloriam, quia de prædestinatione ad unionem hypostaticam alia est ratio: ibi enim ipsamet substantia, id est, persona prædestinati, ut unita, est gratia; et sic non debet distingui terminus prædestinationis a subjecto, seu substantia, nisi ratione tantum, id est, persona illa ut subrogata loco humanæ, et constituens hominem, est subjectum sub hac præcisa formalitate, eadem autem persona ut constituens hominem Deum in tempore, et per unionem, seu communicationem temporalem est terminus prædestinationis, quia est maxima gratia facta illi homini, seu illi personæ ratione humanæ naturæ, licet nulla sit gratia facta illi personæ secundum se, et ut divina. Vel secundo, ibi non fit gratia seu beneficium, et prædestinatio subjecto, et personæ in se, sed ipsum subjectum ut unitum, et communicatum naturæ humanæ est gratia; et sic prædestinatur ipsa persona, seu subjectum, non ut sibi fiat gratia tamquam termino cui, nec enim ibi datur, sed prædestinatur persona ut ipsamet sit gratia, et donum collatum naturæ; et sic aliud est id quod prædestinatur, aliud est cui fit gratia, et beneficium. Fit quidem beneficium ipsi naturæ, sed prædestinatur persona tamquam gratia ipsa substantialis, quæ non sibi est gratia, sed naturæ cui communicatur. Itaque aliud est quid in hac prædestinatione sit gratia, aliud respectu cujus gratia sit. Gratia est ipsummet subjectum, seu persona,